



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Sententiæ declaratoriæ suspensionis contentæ in c. Consequens est 88.
dist. Form VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Episcopi per spatum non solum sexaginta, sed centum sexaginta passuum ut ex Decretis Sacr. Congreg. Rit. declaratum pluries fuisse testantur Gavant. in manual. Epist. verb. Canonicorum munera erga Episcopum in additione n. 1. 2. 3. & 4. Barb. de canonic. cap. 32. n. 2. 3. 4. & n. 22. & 23. Et quatenus renueret (nisi in contrarium immemorabilis consuetudo adesset) posset illos ad hujusmodi obsequium prestandum etiam censuris compellere, per ea, quae late probat Pignatell. consult. 83. per tot. tom. 5. Cum enim Cæremoniale lib. 1. cap. 15. id fieri per Canonicos mandet, per verbum debent, quod jussum, & parendi necessitatem significat, clement. attentes, verbo debeat de stat. monach. dubium non est, quin possit hanc vim coactivam exercere, & juris remediis uti. Verum est tamen, quod in hoc Episcopi prudentia potius, & suavitas, quam juris rigor effulgere debet: & nunquam excommunicationis remedium adhibere, prout dixi in par. 2. tit. 13. form. 2. n. 10. pag. 43.

Sententiae Declaratoriae.

F O R M U L A VIII.

VIso, & attento processu constricto contrâ Presbyterum N. inquisitum *de licita negociactione* (*vel de illicito exercitio*) ex quo constat de spretu nostræ monitionis, & de illicita negociactione: *eoque monito ad dicendum causam, quare non deberet pœnis sacrorum canonum subjici, & nihil quod relevet deducto, eum à Divinis in totum suspendimus, & suspensum declaramus & denunciamus;* reservato nobis jure contra eundem ad alias pœnas arbitrarias graviores procedendi, quatenus post intimationem præsentis nostri Decreti à negociactionibus (*vel illicito exercitio*) non desistat, & intimari mandamus.

(N. Vic. Gen.)

N. Actuarius.

S U M M A R I U M .

- 1 Negociatio est triplex &conomica, politica, & lucrativa, & declaratur divisio.
- 2 Clerici pauperes de licentia Episcopi possunt conducere prædia ad colendum, & exercere opera rusticalia, & num. 3. Dummodo opera non sint sordida, num. 4.
- 3 Clerici etiam si pauperes sint, non locant operas suas ad arandum, vel fodendum, quia haec reputantur, in honesta: neque in propriis bonis rusticalia agere neglectis muneribus ipsis incumbentibus.

- 6 Clericus Beneficiatus non potest neglectis oneribus Beneficii operas suas locare prætextu paupertatis.
- 7 Opinio glorie prefertur opinioni alterius Doctoris.
- 8 Referuntur objecta Parochorum, qui missam Parochialens pro Populo renunt applicare, & diluuntur, n. 9. 10. 11. & 12.
- 13 Clerici plura facere possunt, quæ non cadunt sub negociactione illicita, & enumerantur.
- 14 Clerici, qui habent sufficiens Patrimonium, vel Beneficium, aut honestum exercitium non possunt exercere negociactionem lucrativam.
- 15 Sacerdos, qui utitur orationibus, vel exorcismis ad depellendos morbos, ab Ecclesia non approbatis, illicite agit

- te agit, & sunt reprobande & num. 16.
- 17 Animalia irrationalia non sunt exorcizzanda, neque anathematizanda, sed jejunis, & orationibus expellenda, juxta modum hic traditum & num. 18.
- 19 Sacerdos secularis, vel Regularis, qui utitur superstitiosis orationibus sine dolo, si monitus non resipiscat est suspendendus, si vero dolosè, deponendus.
- 20 Episcopus in delictis pertinentibus ad s. Officium, punit Regulares.
- 21 Censura suspensionis, quæ fertur in paenam criminis probati, potest infligi absque monitione.
- 22 Datur forma monitionum exequendarum contra Clericos negotiatores, & num. 23.
- 24 Clericus Negotiator appellans à comminatione censuræ, est supersedendum à declaratoria, nisi delictum sit certum, & notorium, quia tunc appellatio non attenditur & n. 25.
- 25 Clerici Negotiatores, sunt censuris puniendi, quia graviter peccant, immo, & aliis paenit mulctandi.
- 27 Regulares Europei si sint Negotiatores afficiuntur iisdem paenis.

ADNOTATIONES.

D E ILLICITA NEGOCIATIONE.
Negociatio triplex est scilicet, œconomica, politica, & lucrativa. Oeconomica fieri dicitur in iis, quæ concernunt sui, suæque familiae substantiationem, prout necessitas postulat: politica exercetur causa, vel intentione, succurrenti publicis necessitatibus, & hæc Præsulibus, & Civitatum Gubernatoribus convenient: lucrativa autem exerceri dicitur, quando quis aliquid emit, ut illud postea carius vendat, quæ duplice modo fieri solet: primo quando emptor rem, quam emit artificio, & industria mutat, & meliorat, ideoque carius vendit, hæcque non tam propriè dicitur negotiatio, quam artificium: secundo vero modo quando quis emit ut carius vendat, nullo artificio adhibito, nullaque addita melioratione, &

hæc est propriè negotiatio illicita, quæ Clericis est à jure interdicta, in dict. cap. consequens est 88. dist. & in cap. sed nec, & cap. secundum, ne cleric. vel monac. c. cleric., & cap. fin. de vit. & honest. cleric. & alibi: nam lucrativam primæ speciei possunt exercere si indigeant absque incuria paenarum.

Quamobrem de licentia Episcopi, dummodo sint pauperes, possunt conducere prædia laicorum ad colendum: quia hæc non dicitur negotiatio quæstoria, ut dicit Grass. de effect. cleric. eff. 6. n. 31. & idem, ut sibi, & suis querant vietum, & vestitum permisum est eis, ut exerceant opera rusticalia, v. g. fiscellas vincis, & canistra viminibus texere, Arbores plantare, vel inserere, proprias vineas putare, vel fodere, & Olera herbarum Sarculo irrigare, ut faciebat ille, qui dicebat, non sufficit oremus, nisi aremus, text. est in c. 1. de celebrat. missar. ubi dicitur --- deinde peractis horis, & visitatis infirmis, si voluerit exeat ad opus rurale, & tradit quoque Leoncil. de privil. pauper. par. 2. privil. 5. num. 8. immo & in bonis amicorum, & propinquorum operas diurnas præstare, ut illi easdem in prædiis propriis restituant: dummodo opera non sint sordida, & inhonestata, prout à Sac. Cong. Concilii declaratum fuisse resert Barb. de jure Ecclesiast. lib. 1. cap. 40. num. 127. ubi per extennum Decreta habet.

Non possunt tamen locare operas suas ad arandum, vel fodendum, quia hæc Clericis illicita sunt, & reputantur inhonestata, ut docent Genuen. cap. 75. n. 2. in fin. Grass. de effect. cleric. eff. 6. num. 46. neque in propriis bonis rusticalia ageare, neglectis munericibus, ipsis incumbentibus, sed prius his adimpleris oneribus, tempus quod superest operibus istis vacare possunt, ut dicitur in text. citato, & clariss expressum habetur in cap. Clericus vietum 91. dist. ubi sic dicitur -- Clericus vietum, & vestitum sibi artificio, vel agricultura, absque offici sui dumtaxat detimento paret. Ex quo canone infert gloss. quod Clericus non possit operas suas per totam diem locare, & si sit Beneficiatus, ut operas suas locet, non valeat allegare paupertatem suæ Ecclesiae.

fiæ : quia sibi præjudicium fecit , quando permisit se promoveri ad tam tenuem Ecclesiam , quæ necessaria non tribuit , sicuti enim Vir (dicit glos.) tenetur ministrare necessaria Uxori , quæ tamen est talis quæ ei debitum reddere non valet : ita iste teneatur officiare Ecclesiam , licet pauper sit , & dicere cum Apostolo , scio abundare , & satiari , & efurire .

7 Hoc glosæ doctrina , quæ præfertur cuicunque opinioni alterius Doctoris , ut ex Baldo tradit Fagnan. in cap. ne innitaris num. 352. de constit. mirabiliter convincit illos Parochos , & Animarum Rectores , qui prætextu tenuitatis Congruè omitunt missam Parochiale diebus festis de præcepto pro populo applicare , prout illos teneri , jam Sac. Congreg. Concilii pluries declaravit , ut à me in 1. & 2. parte hujus operis ostensum fuit , non obstantibus his , quæ ab eis ad se eximendum afferuntur , nempe .

8 Primo , quod Decreta Sac. Congregat. emanarunt ipsis inauditis , & indefensis , & ideo non afficere afferunt . Secundo , quod cum ex redditibus Ecclesiæ non habeant congruam sustentationem possint eleemosynam pro missa diebus festis celebranda recipere : quia repugnat legi naturali , & justitiæ , quod Parochus labore , & seminet spiritualia , & temporalia pro viœ necessaria , quæ ab Ecclesia non habet , non possit aliunde percipere ; dignus est enim operarius mercede sua , juxta illud Luc. 10. Tertio , quod plures DD. celebresteneant , ipsis ad hanc Sacrificii applicationem non teneri . Quarto , quod si ad hoc onus implendum ipsis ratione curæ Animarum tenerentur , multo magis subjici deberent Episcopi , & alii Prælati Regulares , imo & summus Pontifex , & tamen nullus horum (ajunt ipsis) tale onus agnoscit .

9 Ad primum respondeatur , quod obligatio Parochorum , & aliorum Curam Animarum habentium applicandi Sacrificium pro Ovibus suis , provenit à jure Divino , ut definitum habetur à Concilio Trident. Sess. 23. cap. 1. de reform. Unde Decreta Sac. Congregat. nullum onus de novo inducunt , sed dies , & tempus applicacionis declarando , illud quod latens erat manifestant , i. hæredes palam , ff. de testam.

Monacel. Formul. Pars III.

ad hoc ut Episcopi id querentes , sciant pro gubernio suarum Ecclesiarum , quomodo sit adimplendum : nam dubia juris interpretanda sunt à Principe , cum illius sit declarare , cuius est condere ; & sic non fuit necesse vocare Parochos . At si ipsi ex hac declaratione sentiunt se gravari , recurrant , & deducant , si habeant , quid opponant , interim tamen tenentur Decreta servare , non autem sibi jus dicere , & illa respuerere : cum certum sit ea non differre à lege declarata , & obligare in utroque foro , ut late probat Fagnan. in cap. quoniam de constit. & P. Felix Potest. in exam. Eccl. quos allegavi par. 2. tit. 16. ad form. 2. n. 18. quibus nunc addo Donat. prax. rer. regular. tom. I. p. 1. tract. 8. q. 4. n. 5.

Ad secundum respondeatur , quod si non 10 habent congruam sustentationem , sibi imputare debent , cur tam tenuerit Beneficium voluntariè acceptaverint , ut dicit glos. in d. c. Clericus videtur 91. dist. vel posse , & debent implorare officium Judicis , ut Parochiani , quæ ad sustentationem Rectoris sunt necessaria contribuant , juxta providam dispositionem Concilii Trident. Sess. 24. cap. 13. ut bene observat Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 5. n. 43. vers. notandum secundo cum seq. non autem onus , sacrificium pro populo applicandi jure Divino injunctum abiicere , quod si Parochiani renuant Rectorem in necessariis subvenire , Sacra menta eis poterit denegare , ut tradit Surde aliment. tit. 1. q. 60. num. 3.

Ad tertium respondeatur , quod cum sit à Concilio Trident. definitum onus , sacrificium pro ovibus suis jure Divino Rectoriibus Curam Animarum habentibus injunctum esse , nil deferendum venit opinionibus Moralistarum , quorum dicta forte bonam fidem inducere possent , quando Decreta Sac. Congregationis super hac re non emanassent -- cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo species Generalia Concilia indicere , confirmare , interpretari , & ut ubique locorum serventur , curare , ac precipere (sunt verba proæmalia Bullæ Sixti Quinti erectionis Congreg. Concilii Bullar. tom. 2. pag. 604.) Et sic Decretis predictis standum est , tanquam emanatis à Judice , qui solus potestatem habet

O Con-

Concilium interpretandi, non autem opinionibus DD. quibus interdictum est Concilii Decreta glossari, & interpretari, ut patet ex Bulla Pii IV. ejusdem Concilii Confirmatoria, Bullar. d. 10. 2. Conf. 73. pag. 104.

¹² Ad quartum respondetur, quod ultro admittitur, quod Episcopi, & alii Praelati curam animarum habentes, & etiam Summus Pontifex teneantur frequenter Pro Ovibus sibi commissis Sacrificium offerre, ut jam probatum à me fuit, part. 2. tit. 16. ad form. 2. à n. 21. ad 26. & præter auctoritates ibi allegatas, pro indubitate tenet Episcopus Ricc. in prax. rer. for. Eccles. par. 5. prax. bon. obser. & legis Episcop. cum Baron. c. de oblig. Episcop. n. 8. & 9. ubi hæc habet -- obligatur tertio Episcopus celebrare missam saltem omnibus Dominicis, & ratio est, nam Episcopus præcepto Divinotenetur Sacrificium offerre pro ovibus suis, Conc. Trid. Ec. At negatur, quod Praelati hanc obligationem non agnoscant, & quatenus aliquis non agnosceret, non inde sequitur, quod non teneatur, & præceptum Divinum ex hoc abrogatum sit.

¹³ Redeundo autem ad materiam, à qua non inutiliter paulisper digressus sum. Posunt Clerici licite præter jam dicta, conducere Agros Ecclesiæ, & illos opera laicorum colere facere: animalia emere, ut pascant in dictis prædiis conductis, vel in propriis, ut cum pinguis fuerint, vel fetus emiserint, vendant: fructus in propriis bonis recollectos vendere, aut vendi facere per alios etiam minutatum, vel alio transportare, ut carius vendant: locationes, seu affictus tamquam successores, & hæredes conductoris continuare, ut de his, & aliis similibus negotiationibus licitis tradunt Barbos. de jur. Eccles. lib. 1. d. cap. 40. à num. 119. usque ad num. 128. Panimoll. decis. 71. à num. 20. ad num. 44. Et respondit quoque Sacr. Congreg. Concilii in Nullius, seu Squillacen. 14. Novemb. 1626. Quæritur an Clericis liceat infra scripta facere absque reatu illicitæ negotiationis.

Primo. An liceat eis terras patrimoniales, ac Beneficiales opera laicorum colere?

Secundo. An pro necessario cultura

usu, possint emere Boves, & alia animalia; & fetus illorum vendere.

Tertio. An hi, qui in propriis bonis habent quercus, & castaneas, quarum fructibus sues vescuntur, possint sues emere, & sues alere, & pro sua, & familiæ sustentatione vendere.

Quarto. An iidem Clerici cum foliis suorum Arborum, possint in propriis Eridibus arti sericeæ operam dare, vel idem opus alteri ad medietatem committere.

Sacr. Congreg. &c.

Ad 1. censuit, licere Clericis agros Beneficiorum, & bonorum patrimonialium suorum, opera laicorum colere absque reatu illicitæ negotiationis.

Ad 2. posse similiter Clericos pro hujusmodi culturae usu Boves, & animalia necessaria emere, illorumque fetus vendere, nec propere eos prætextu prohibitæ negotiationis vexari posse, aut debere.

Ad 3. posse iidem pro sua, & familie sustentatione sues alere, & vendere dummodo tamen in alendis emendisve suibus, nihil sordidum aut indecens ordini Clericali exercercent.

Ad 4. licere Clerico Arborum in propriis bonis existentium folia alicui laico concedere patro adjecto, ut lucrum quod in bombycibus provenerit inter utrumque dividatur, ac pariter eidem licere corundem Arborum foliis per se ipsum absque offici sui detrimento, ac pro sua, & familie sustentatione arti sericeæ operam dare, dummodo in artificio prædicto personas non suspectas adhibeat, & quo adhuc Episcopi licentia, quæ gratis detur, obtineatur lib. 13. decr. pag. 145.

Cujus Decreti occasione, cum P. Passerinus (tuuc Procurator generalis) dubium eidem Sacr. Congregationi proposuisset -- An prædictis Presbyteris, & Clericis liceat absque negotiationis Clericis interdicta nota, oves, boves, aliaque hujusmodi animalia emere, eaque locationis, aut Societatis titulo conductori, aut Socio tradere, ac lucrum ex hujusmodi locatione, sive Societate percipere. Die 7. Octobris 1662. Sacr. Congregat. S. R. E. Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, censuit non licere. Quam resolutionem authenticam apud se retinuisse testatur, in tract. de stat. hom. tom. 2. q. 187. art. 2. n. 189. pag. 339.

No-

- 14 Notandum tamen est, quod si Clericus haberet sufficiens Beneficium, vel Patrimonium, vel ex servitio Ecclesiae perciperet necessaria ad sui, & suæ familiæ sustentationem, non posset licet exercere negociationem lucrativam primæ speciei: quia tunc fieret ex cupiditate lucrandi, non autem ad succurrendum propriæ indigentiae, Panimoll. *decis. 6.*
annot. 5. n. 23. & *dict. decis. 71. n. 2.* imo ob inopiam licita erit dicta negotiatio, quando nullam haberet artem, vel exercitium honestum, ex quo possit victimum querere: si enim hoc haberet, illud exercere deberet, & non negotiacionem, ut advertit Graff. *de effect. cleric. effect. 6. n. 27.*
- 15 (*Vet illico exercito*) Rem illicitam exerceret simplex Sacerdos, vel Parochus, si in depellendis morbis, vel animalibus noxiis, uteretur orationibus, aut exorcismis arbitratu suo conflictis, etiamsi viderentur bona: nam hæc censenda sunt vana, & superstitionis aliqua specie superstitionis, & fieri saltem cum tacita Dæmonis invocatione, quæ toties sunt, quoties quis enititur efficere aliquid per causas, quæ nec virtute sua naturali, nec ex Divina, aut Ecclesiastica institutione, possunt illud efficere, nec sunt ad illud ordinatae, ut docent Navar. *conf. 57. num. 8. lib. 5. de sent. excom.* Graff. *dec. aur. par. 1. lib. 4. cap. 6. n. 12.*
- 16 Quare Ordinarius in Visitatione debet de hoc inquirere, & Parochos, & Presbyteros interrogare, an utantur orationibus, & precibus in Missali, & Rituali non contentis: quas si inveniat eos habere, & illis uti suspectas habeat, & reprobare non moretur: prout illas reprobandas esse monet rationibus, & exemplis, Mattin. del Rio *disquis. magic. lib. 3. tit. de man. observ. quæst. 4. sect. 7. & 8. per tot.* Nisi forte hujusmodi Orationes essent excerptæ integre, & absque ulla mutatione ex Operibus Sanctorum Patrum.
- 17 Et hinc illicita res esset, si Parochus vel alias, animalia irrationalia exorcismis adjuraret, vel anathematizaret; quoniam, & hoc vanum est: quia adjurare aliquam Creaturam irrationaliæ non centem, ad aliquem actum tanquam pro-
- cedentem ab ipsa; est superstitionis, cum non sit ejus domina, sed Deus, qui movet eam, vel Dæmon, quatenus permisso ejus utitur ea ad nocendum nobis: ideoque hujusmodi adjurations, quæ referuntur ad irrationalia fieri non posse scienter sine peccato mortali, docent Navar. *dict. confil. 57. num. 10.* & seqq. Graff. loco citato n. 12.
- Ideò edocendi sunt Clerici, quod si 18 Locustæ, vel Bruchi, vel aliud genus vermium damnum fructibus, & segetibus inferunt, non sunt adjurationibus ipsis expellendi: sed jejunis, & orationibus humiliter obsecrandus est Deus, qui dicta animalia irrationalia movet, ut dignetur ea compescere aliquo modo suæ Majestati grato: & quatenus à Sacerdote Sacris vestibus induito, adjurations fiant, referantur ad Diabolum, qui Dei permisso utitur ad nocendum hominibus precipiendo ei dure, ac rigide potestate à Deo tradita Ecclesiæ, juxta illud *Luce 10. Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra Serpentes*; ut effet à movendo, educendo, & dirigendo contra nos, & abstineat à tali uero damno, & finat animalia nocentia redire ad loca, unde venerunt, & fugiant à facie sacro sanctæ Crucis, (quæ ostendatur) & virtute ejus fugere jubeatur, & relinquere, & cessare à suis maleficiis, ad gloriam D. N. Jesu Christi, omessa semper mentione excommunicationis, & anathematizationis, quarum nec animalia irrationalia, nec Dæmones capaces sunt, & iste modus animalia adjurandi licitus erit, ut tradunt Navarr. & Graff. locis suprà allegatis.
- Si quem autem Parochum, vel Presbyterum, etiam Regularem Ordinarius inveniat, & in sua Diœcesi reperi re notitiam habeat, qui vanis, & superstitionis orationibus, & exorcismis, ignoranter, & bono zelo utatur, in curandis morbis, depellendis tempestatibus, aut animalibus irrationalibus, & monitus non desistat, eum à Divinis debet suspendere saltem per annum. Dixi ignoranter, & ex simplicitate: quia si hoc faceret scienter cum dolo, & advertentia, esset deponendus ab omni ordine, & officio, ut inquit Menoch. *de arbitr. cas.*

O 2 388.

20 388.n.10. & 11. Dixit etiam Regularem: quia cum sit delictum pertinens ad Tribunal S. Officii, ut habetur in Edicto generali cap. 2. & Superiores in eo non possint se ingerere, prout prohibet Decretum Alexandri VII. quod per extensum refert Lantusch. in theatr. regular. pag. 179. Episcopus tanquam Inquisitor à jure datus, in hoc etiam Regulares punit, & iudicat, c. accusatus, §. Sanè de hæret. in 6. & advertunt Leo thesaur. for. Eccles. par. 3. cap. 5. n. 17. Ricc. prax. rer. for. Eccles. par. 2. resol. 210. n. 2. limit. 13. Lauret. de Franc. controv. p. 1. n. 536.

21 Eoque monito. Licet censura suspensio-
nis, quando fertur in poenam criminis pro-
bati, possit infligi absque monitione, ut
ex Innocent. in cap. 1. de excess. prelat. do-
cent Graff. dec. aur. par. 2. in Appendix
lib. 3. cap. 1. num. 36. Sayr. de censur. lib. 4.
cap. 2. num. 14. in hoc tamen crimen il-
licitæ negociationis, vel exerciti, Cle-
rici Beneficiati, vel in sacris constituti debent non solum citari antequam profes-
ratur sententia suspensionis: sed conve-
niens quoque est (non quidem ex necessi-
tate, sed urbanitate, & Judicis lenitate)
quod antequam instruatur processus, mo-

neantur scripto -- Ad se abstinendum, &
cessandum à negocitationibus, & exercitiis
illicitis, & à Sac. Canonibus Clericis pro-
hibitibus sub poena suspensionis à Divinis,
Officii, & Beneficii, & aliis arbitrariis gra-
vioribus, quoniam, &c. prout faciendum
esse consulit Turrecrem. in dict. cap. Cle-
ricus viatum 9. 1. dist. num. 3. Quod si moni-
ti non desistant, tunc erit conficiendus
processus, ex quo si intentio fisci rema-
net probata, inquisitus monendus erit

23 ut dicitur in formula -- Ad comparendum
in termino peremptorio trium dierum, &
dicendum causam quare non debeat ob illici-
tam negociationem per ipsum exercitam (vel
exercitum) etiam post monitionem à divi-
nis suspendi, & subiici, & puniri allis poe-
nias sacrorum canonum, &c.

24 A qua Censuræ comminatione, si in-
quisitus appellat, supersedendum erit in
declaratoria: tūm quia quando quis sus-
penditur in poenam appellatio suspendit
suspensionem, ut ait Grass. loco supra ci-
tato dict. num. 36. in fin. tūm quia cum gra-

vamen censuræ comminatae licet futu-
rum, non possit per diffinitivam reparari,
appellatio debet admitti ad utrumque
effectum, ad tradita per Fagnan. in cap.
super eo lib. 2. de appellat. num. 46. & seqq.
cum clausula tamen, quod appellans infra
tot dies, doceat Judicem ad quem adiisse,
& appellationem prosecutum fuisse,
aliás termino elapsō, & de prosecutione
non docto, ad ulteriora appellatione non
obstante, procedetur, iuxta dispositio-
nem text. in cap. personas 4. de appellat.
ubi sic habetur expressum - si quis ad no-
stram audientiam appellaverit, tu ei diem
infra quem Apostolicam Sedem convenien-
ter possit adire assignes, ad quam si venire
contempserit, tu illum ex tunc judicio tuo su-
per iis, quæ in quæstione vertuntur sine con-
tradictione aliqua, stare compellas: confor-
mant. text. in cap. ad aures 33. eod. tit.

Porrò si negotiatio illicita, vel exer-
citum indecens, & in honestum Clerici,
esset certa, seu certum, & notoria, seu
notorium, tunc appellatione à commina-
tione censuræ interposita non obstante,
poterit Judex ad declaratoriam suspen-
sionis procedere, & inquisitum suspen-
sum denunciare, quia in notoriis non
admittitur appellatio, text. est in cap.
cum speciali 6. §. Porrò de appellat. ubi
sic dicitur -- porrò commonito ad appella-
tionis obseculum convolante: si ejus excessus
evidentia rei, vel ipsius confessione, aut
alio modo legitimo fuerit manifestus (cum
appellationis remedium non sit ad defensio-
nem iniquitatis, sed ad praesidium innocentiae
institutum,) non est provocationi hujus-
modi deferendum. Et concordant alia ju-
ra nempè, in c. cum sit Romana, §. Pre-
tereà in fin. & cap. pervenit. eod. tit. Innoc.
in dict. cap. 1. num. 3. de excess. prelat. Fa-
gnan. in c. vestram. 104. & 105. de cobabit.
cleric. & mulier. Donat. prax. rer. regular.
tom. 1. par. 2. tract. 10. de appell. qu. 21. n. 1.
ubi n. 3. hanc conclusionem veram dicit,
præsertim quando Judex procedit ad poe-
nam à jure taxatam, prout accidit in ca-
su formulæ hujus.

A Divinis in totum suspendimus. Idest ab omni usu activo, & passivo sui officii,
seu divinorum, etenim Clerici in sacris
constituti, vel Beneficiati, illicite nego-
cian.

Estantes, peccant mortaliter & spernunt præceptum Apostoli Timot. 2. ubi mandat quod nemo militans Deo implicit se negotiis sacerdotalibus, & ideo suspendendi sunt a Divinis: imò si sic suspensi, ter moniti non respicant excommunicandi, & aliis penitentia arbitrio Iudicis puninendi sunt, per text. in d. c. consequens 88. dist. & cap. sed nec. Et secundum instituta, ne cler. vel Monach. cap. 1. & seqq. 14. 9. 4. & est communis opinio, Bellet. disq. cleric. par. 2. de pœn. cleric. §. 51. n. 2. & 3. Barb. de jur. Eccl. lib. 1. d. cap. 40. n. 128. Panimoll. d. dec. 71. n. 3. 4. & 5. Zecch. de republic. Eccl. tit. de cleric. n. 7. vers. quadragesimo primo non debent, Graff. de effect. cleric. effect. 6. n. 4. & 5. Pirhing. in jus can. lib. 3. tit. 50. n. 9.

Regulares vero cuiusvis Religionis, Ordinis, Societatis, & Congregationis sint, mercaturam, & negociationes sacerdotiales, exercentes, præfertim in Indiis excommunicationem latè sententiæ, & privationem vocis activæ, & passivæ, ac officiorum statim incurront, vigore Constit. Clem. IX. impressæ in Bullar. tom. 6. constit. 35. pag. 304. Verùm hæc Constitutio videtur restricta ad illos Religiosos missos, & commorantes in Indiis, tam in parte australi, quam septentrionali, ut percipitur ex illis verbis dispositive §. 3. ibi -- omnibus, & singulis personis, quæ ad Insulas, Provincias, & Regna Indianorum Orientium. Et sub nomine Missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missæ fuerint,

aut in aliis partibus quomodolibet morabuntur sub excommunicationis latè sententiæ, ac privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, tenore præsentium districtæ interdicimus, &c. Ideoque dicendum est, quod Regulares Europei, quatenus sint negotiatores, remaneant obstricti iisdem pœnis, quibus subiiciuntur Clerici sacerdotiales, ut affirmant DD. mox citati; præter alias à Constitutionibus proprii ordinis statutas pœnas.

De suspensione ab audiendis Confessionibus contenta in Constit. Clem. X.

Superna in Bullar. tom. 6.

Constit. 7. pag. 332.

Ad removenda dissidia, quæ sæpè oriebantur inter Episcopos, & Regulares super intelligentia, & executione privilegiorum, eis concessionum, circè prædicationem verbi Dei, & Sacramenti poenitentiae administrationem, Clem. X. hac sua Constitutione plura providè statuit, & inter cætera, quod possit Episcopus ex rationabili causa (Sedi Apostolicae, si eam sibi aperiri postulaverit, manifestanda) post quam Regulares ad confessiones Sacramentales audiendas approbaverit, illos suspendere. Quare cum de hoc sæpè contingat dubitari, aliqua, quæ justitiam, & rationabilitatem arbitrii Episcopi respiquant, notanda occurunt. Decretum autem suspensionis, sic concipi poterit.

Decreti Suspensionis

F O R M U L A XI.

A Trento, quod P. N. Ordinis N. Conventus N. conditiones, & monita sibi in approbatione ad Confessiones Sacramentales audiendas a nobis concessa, præscripta, & injuncta non servat, & ex aliis causis nobis notis animum nostrum dignè moventibus, facultatem prædictam revocamus, & eum ab audiendis confessionibus suspendimus, & suspensum declaramus, & eidem intimari mandamus.

N. Episcopus N.

N. Adjutorius.

Monacel. Formul. Pars III.

O 3 SUM